

**Paradoxorum anatomicarum circa hominis generationum specimen ... /  
[Joannes Fridericus Staedel].**

**Contributors**

Staedel, Joannes Fridericus, active 1694-1695.  
Scheid, J. V.  
Université de Strasbourg.

**Publication/Creation**

Argentorati : Literis Staedelianis, [1694]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dakbm6vp>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

ANATOMICORVM  
CIRCA  
HOMINIS GENE-  
RATIONEM  
SPECIMEN.

UNIVERSITATE ARGENTORATENSI  
PRO  
DISPUTATIONE SOLENNI  
PROPOSITVM.

QVOD  
*DEO ANNVENTE*  
PRÆSIDE  
D. JO. VALENTINO SCHEID  
MEDICO ET ANATOMICO  
PROF. PVBL.

D. XXX. MENS. AVG. A. C. ID IC XCIV.  
H. L. Q. SOL.

DEFENSVM IBIT  
JO. FRIDERICVS STÆDEL  
ARGENTORATENSIS.

ARGENTORATI,  
Literis Stædelianis.

16. TAKED. 8. 2. 1611.

16. TAKED. 8. 2. 1611.

16. TAKED. 8. 2. 1611.

*AMPLISSIMO ATQUE PRUDEN-  
TISSIMO*

**V I R O.**

**D O M I N O**

**J O. REINBOLDO  
F R I D E R I C I.**

**JLLVSTRIS COLLEGII QVIN-  
DECIM VIRALIS ASSESSORI  
GRAVISSIMO.**

**P A T R O N O C O G N A T O**

<sup>A C</sup>

**T U T O R I**

**HONORATISSIMO FAVENTISSIMO.**

**D I S S E R T A T I O N E M**

**H A N C**

**A C A D E M I C A M**

**G R A T I T U D I N I S E T O B S E R V A N T I A E**  
**D O C U M E N T U M M O N U M E N T U M**

*D. D. D. L.*

*Jo. F R I D E R I C V S S t æ d e l .*

13032 2015-07-26  
LITERIS COHABIT  
DECIMARIAIS  
GRATIS  
CROSSICA  
DUDUM  
AUGUSTI  
MELIORA  
SERVABANT  
VITAM  
2005

## B. L. S.

**O**nstitueram , Amice

Lector, ante annos circiter tredecim , & quod excurrit , cum , prout disciplinæ juxta Facultates in Academiis distinctæ habentur , Physica professione fungabar , quo talentulum , quantum in me esset , eo impenderem , ut in genuina Physica docenda , utile dulci miscerem , paradoxa Physica à vetustate tradita & credita , quæ falsitatis seculi nostri experientia redarguit , pro dissertationibus Academicis proponere , atque enodare . Eorum enim , qualia sunt , adamantem hircino sanguine emolliri , struthiocamelum ferrum concoquere , cervum dextrum cornu defodere , heliotropium abeuntem solem intueri , aliaque , ut paucissimorum tantum meminerimus , ex quovis naturæ , ut loquuntur , regno petita , nescio , quot centena ex variis Auctoribus , in primis Aristotelis mirabilibus auditis , Plinio , Solino , Æliano , excerptis ex Agatarchide & Ctesia in Photii myriobiblo ; recencioribus etiam scriptis , ut Jo. Bapt. Portæ magia naturali & phytognomonica , itemque Nierembergii historia naturæ , collecta teneo . Verum destitutus sufficienti Respondentium numero ab instituto desistere coactus fui . Cum vero , ut in reliqua naturali scientia factum , ita in Anatomen atque Medicinam etiam ejusmodi paradoxa irreperserint , errore , ut non minus eruditione , quam ge-

nere ac munere Illustrissimus Angliae Cancellarius Franc. Baconus de Verulamio in nunquam satis laudato opere de dignitate & augmentis scientiarum lib. I. loquitur, quod homines saepius imbuant, & inficiant meditaciones & doctrinas suas opinionibus quibusdam & conceptibus propriis, quos potissimum in admiratione habent: visum fuit, eorum nonnulla praesenti exercitio sub incudem revocare. Idque eo magis, quod non solum ab uno alteroque Amicorum, ut specimen aliquando illorum paradoxorum emitterem, sollicitatus fuerim, sed & ipse Nobilissimus DN. RESPONDENS istud exercii genus praeterea aliis elegerit, quo & Patriae, & Amplissimae suae Familiæ, quæ apud nos consulari dignitate conspicua est, studia, quæ ad gradum usque promovere, primus suæ Gentis meditatur, hactenus, in primis Medica, laudabiliter tractata, probaret. Cæterum, quod me, ipsamque dissertationem attinet, non, ut Curtii l. 9. c. I. n. 34. verbis utar, plura transcribo, quam credo; nec affirmare sustineo, de quibus dubito. Vale interea L. B. nostrumque conatum æqui bonique consule.

Εὐν Θεω!

# PARADOXVM

## PRIMVM.

*In Semine concepto tres primum bullæ apparet, partium principum, cerebri, cor-dis & hepatis rudimenta.*

**S**icut multa in Physicis non usque adeo accurate observarunt, quamvis, satis superque sese rem ipsam perspexisse, nonnunquam sibi visi fuerint veteres; ita quoque in multis naturæ phænomenis explicandis nimis audacula in pronunciando, ut & interdum in iis, quæ a majoribus accepisset, nimis credula fuit antiquitas. Argumento esse potest generationis animalis negotium: in quo examinando, cum non eam, qua opus fuisset, diligentiam adhibuissent antecessores nostri, factum est, ut in illo explicando tum rudes, tum temerarios, si quod res est, loqui fas est, nobis sese reliquerint. Negligentius certe examen illæ tres è semine concepto emergentes bullæ indicant; temeritatem vero omnino spirant, illas trium istarum putatitarum partium principum esse rudimenta, adeoque umbratici istius, ut ita dicamus, triplicis in corpore animali dominatus imaginem. Ita nec citra audaciam enunciatum fuit temporis spatium, quo intra quadraginta quinque dies opus formationis absolvi, crediderunt. Quod quidem non tantum indubitatem veritatis putatum, sed etiam, ac si singulas efformationis proliis vicissitudines oculis manibusque subjectas habuissent, descriptum fuit, adeo, ut memoriæ causa vulgatissimi Ægidio quodam, ut fama fert, auctore effingerentur versiculi:

*Sex in lacte dies; ter sunt in sanguine trini;  
Bis seni carnem; ter seni membra figurant.*

Quid vero hic magis usurpemus, quam quod jam ante septuaginta circiter annos venerandus noster senex Sebiziusr exerc Med. quæst. quinam sit format. foet in utero terminus? enunciavit: Qui

( 4. )

quid singulis diebus, inquiens, septimanis & mensibus circa for-  
mationem fœtus præstetur, exposierunt, hoc nobis in illorum  
placito displicere dicimus, quod incerta & incompta pro cer-  
tis atque exploratis habeant. Agnoverat nimirum ex ingenii  
candore & veritatis amore, quantumvis veterum placitis inescata-  
tus, Vir sapientissimus illam prægressi ævi in pronunciando teme-  
ritatem. Hinc, quamvis perget, soli Protoplastæ cognitum, quid  
præcise primo, quid secundo, quid tertio, quid reliquis diebus,  
septimanis ac mensibus circa Διάπλασιν agatur, & homini in istius  
rei accuratam & exactam cognitionem penetrare, impossibile es-  
se: nempe, ut post eum Gassendus *Phys. Sect. 3. membr. post. lib.*  
*4. c. 3.* humanum ingenium ingenium ea felicitate negat, ut spe-  
rare debeat, perspectum à se unquam iri, seu cuiusmodi agens-  
sit, à quo tam stupendum opificium est, seu qualis sit actio, mo-  
dusque agendi, quo id elaborat: Attamen, cum, uti jam Cicero  
*l. 2. de nat. Deor.* agnovit, opinionum commenta dies deleat; na-  
turæ judicia confirmet; & ut Seneca *l. 7. quest. nat. c. 25.* augu-  
ratus est, tempus (forte jam) venerit, quo quæ (olim) latue-  
runt, in lucein dies extraxit, & longioris ævi diligentia, aliquid,  
quod veritati respondeat, ex isto fere inaccesso naturæ penetrali,  
quantum experientia hactenus concessit, in apricum produce-  
re, nobis licet: ad minimum permittetur, ut id, quod non fiat,  
dicamus. Tentemus ergo, quo usque post tot oculatissimorum  
pariter & accuratissimorum Anatomicorum, veraciumque natu-  
ræ interpretum sèpius reperita experimenta progredi nos, inge-  
nii nostri mediocritas patiatur: nempe, ut Hippocrates, aut qui-  
cumque auctor est, *l. de nat. puer. s. 4. t. 35.* ait, quantum homini  
de hujusmodi re dicere datur. Non enim tantum paradoxum  
propositum nobis confutandum, sed &, quid in tam ardua quæ-  
stione verosimillimum videatur, indigitandum erit. Cæterum,  
antequam id fiat, in auctorem istius tam recepti placiti, in cuius  
verba cæteri jurarunt, inquisivisse, haud pœnitentebit. Is vero esse  
videtur, quantum hactenus indagare licuit, quisquis auctor est  
libri, qui inter spurious Galeni habetur de anatomia vivorum. Hic  
enim *cap. de anat. matric.* ita ait: In principio admiscentur sper-  
mata, & fit spuma in eis, mediante ventositate, elevante ampul-  
las. In ipsis enim sunt tres spiritus, naturalis, spiritualis & vita-

lis, qui movent materiam quolibet genere motus: quorum quilibet intendit ad generationem propriæ causæ materialis, scilicet spiritus vitalis ad generationem cordis, spiritus naturalis ad generationem cerebri. Subintrante ergo in profundum spermati ventositate actione trium spirituum in medio nascitur vesicula quædam: superius autem prope alia vesicula, à latere juxta inferiorem alia. Ex prima vesicula formatur ipsum cor: ex secunda superius posita cerebrum: ex tertia hepar. Pergit paulo post, per sex primos dies apparere spumam, asserens, & alias (forsitan legendum, illas) tres ampullas principalium membrorum. Quibus subjungit, quid deinceps per sex dies sequentes, tum hos excipientes duodecim, tum postea novem in sequentes, in efformationis negotio contingat; ita ut in universum triginta quinque dies requirantur: secus ac illi superius recitati versiculi sanxerunt: quamvis idem de utraque hac efformationis proliis mora & lege judicium ferendum sit. Id solum in modo allegato auctore probandum, quod ipse agnoscat, in quibusdam, ut ait, ista tempora formationis anticipari, & in quibusdam postponi partitiones totalis temporis formationis, tum per unum diem, tum per plures. Ansam forsitan huic placito ipse Galenus dedit, quando *L. I. de sem. c. 8.* ex nova Charterii versione ait, attrahitur simul, cum spiritu per arterias, tenuior & calidior, quam qui est in venis sanguis, atque ex his sane calidissimum ex visceribus producit. Alter vero sanguis crassus hepatis speciem ipsi constituit. Et paulo post: Tertium vero principium, à quo omnes producti sunt ne vi, generationem ex solo semine habet. In permixtione namque ad semen muliebre πολλα τῷ πομφολύῳ multæ bullæ ruptæ sunt. Ubi primum videtur istarum ampullarum in Galeno ipso vestigium: Sed audiamus paulo post ulterius differentem, cum ait: Hoc in principio quidem facultas opifex ac animal formans operatur: verum juxta principium nondum apparet præ parvitate. Quando vero primum apparere incipiunt, maxima sunt tria hæc, ex vicino inter se sita, & se mutuo contingentia. Principium quidem nervorum futurum, quod cerebrum appellamus, altiore sede locatum; subjacent autem ipsi cor, & hepar mutuo se contingentia. Tempore vero progrediente hæc jam dicta tria principia longius disparantur, & in totum, quod eis afformatur,

animalis corpus germina transmittunt. Item, cum cap. seq. 2. universam fœtus fabricam quatuor temporibus juxta diversas Hippocratis denominationes distinguendo, dicit, secundum tempus esse, cum cor, cerebrum, & hepar adhuc indistincta sint, & informia, soliditatem tamen jam aliquam & magnitudinem memorabilem habeant: tertium vero tempus, quando tria principia manifeste videre liceat. Sed & huc fecisse videtur ex parte locus Aristotelis l. 3. de part. an. c. 4. quando Philosophus juxta versionem Gazæ ait: statim cum consistent, quæ sanguinem habent, exiguae admodum sunt, deprehendi cor & jecur sine dubio possunt: Græcus textus habet: ἐνδηλα γίνεται, manifesta fiunt: quippe cum in ovis, pergit, triduo cubatis puncti jam magnitudine appareant: nec non in partibus abortitiis per quam exigua cernantur. Hinc fortasse factum, ut non tantum, qui doctrinam Arabum sectabantur, quorum scholam liber iste de anatomia vivorum Galeno adscriptus sapit, velut rem indubitate veritatis susciperent, sed & qui à Galeni partibus stabant, fere omnes uno ore istas tres vesiculas partium principum rudimenta venditarent. In primis, quando & Avicennæ auctoritas accessit, qui l. 3. can. fen. 21. tr. 3. c. 2. cum, quæ pars prius, quæ posterius procreetur in utero, & quid singulis diebus fiat, exponit, inter alia istarum quoque vesicularum meminit, præcipue quando ait: vesicæ cordis, & hepatis & cerebri creationem umbilici præcedunt. Quapropter non mirum, velut oraculum hoc ipsum pronunciatum olim receptum fuisse. Inde Bonaciolus, qui primus post illam, uti aliarum disciplinarum, ita & Medicinæ barbariem, compticeri stylo, quanquam non semper usque adeo feliciter, studuit, Ennead. mul. c. 2. postquam utrumque semen genitale commixtum minutissimis hectis spiritu repletis assurgentibus spume scere, atque ob diversam, ex placito veterum communī caloris atque frigoris temperiem, extremis siccescentibus, membranulam pro bullularum trium principatum habentium membrorum, cordis, cerebri, jecoris, custodia, velut germinis operimentum, generari, asseruerat; mox, & qua ratione bullæ istæ emergant, exponere conatur: quando ait: spiritus ad medium eatenus propellitur, quatenus cordis locus præparetur: quo loco spiritu intus defervente, & calore extrinsecus exiccante, cordis bullæ tu met,

met, vitali spiritu (quo commodius affomativa vis cor ipsum ac membra cætera condere queat) referta. Medium namque sedem in animali non secus, quam rex in regno cor obtinere, jus fasque est. Deinceps vero bullulae geminæ, superna parte pro cerebro una, dextrorsum pro jecinore altera, primæ ad tempus cohærentes extuberant: quæ nihilominus spiritu, superna animali; naturali altera replentur: in hac jecur, in illa cerebrum, spiritaceis iis substantiis patrocinantibus, procreatum iturum est. Quæ procedente tempore à cordis bullæ, quæ prima fuit, & interstitio, & specie, & magnitudine abscedunt. Quæ quidem omnia, non tantum ad mentem superius allegati auctoris de anatomia vivorum composita sunt, sed &, si dicendum, quod res est, ut mos isti ævo solennis tulit, satis dictatorie, ut & quæ sequuntur, in primis circa istorum quadraginta etiam quinque, quibus conformatio fœtus absolvatur, dierum numerum, animæque infusionem, videntur pronunciatae. Id adhuc, si quapiam in re auctor iste audiendus est, probandum, quod cum ista elementorum ex Aristotele *l. 4. d. cel. c. 1.* hausta, atque à Peripatetica schola inculcata, proportione sibi mutuo respondentे levitate, gravitateque occæcatus, extricare se nequeat, ad *στόν πτ,* si loqui fas est, confugiat: quando ait: In medio expiratio fit, affomatrice vi sic jubente. Quanquam enim spiritum hunc (utpote levem & calidum) sursum atque ad circumferentiam potius suapte natura, suoque nutu ferri, par sit: ad medium tamen, atque quocunque vis illa, prope dixerim, (non, ut Gynæciorum Spachiana editio mendose legit, duxerit) divina imperaverit, cuius est instrumentum, dirigitur. Ita &, qui inter Galenicos suo ævo & doctrina & styli elegantia eminebat, oculatiore seculo dignus Fernelius *Physiol. l. 7. c. 9.* postquam eadem prorsus ratione, ac cæteri, semen in utero conclusum magis calore diffundi, hinc turgescere, spiritum concipiendo iuxta effatum Hippocratis *l. d. nat. puer. f. I. z. 5.* asseruerat: atque ita, quicquid in semine tenue est, id in spiritum abire, qui caloris, omniumque facultatum moderator, & primus procreationis author sit, ex mente, ut ipse putavit, Aristotelis *l. 2. d. gen. anim. c. 3.* ita interpretanda, dixerat, eundem spiritum in seminis medium se colligere, in eoque persistere, non tantum omnium partium conformatorem & opificem

affir-

affirmavit; sed & ipsum illum spiritum facultates habentem, & naturæ instrumentum, tres bullas in medio semine constituere, quasi guttas perlucidas, quæ, tum proximæ sibi, rudimenta quædam & principia exhibeant trium principiorum, cordis, jecoris, & cerebri, pronunciavit. Secuti sunt hos quicunque patrum nostrorum memoria aliquid de hc minis generatione literarum monumentis consignarunt auctores, si non omnes, saltem plerique. Ita, ut sicut jam dicere cœpimus, velut oraculum ex tripode, de quo quidem non dubitare liceret, illud ipsum pronunciatum fuerit susceptum. Hinc passim institutionum Medicarum scriptores, aut qui vulgo dictam Physiologiam Medicam, aut tantum ea caput de hominis procreatione tradiderunt, satis superque se fecisse existimarunt, omnemque prorsus absolvisse paginam, quando illius partitionis dierum, quibus fœtus conformatio constet, tum etiam istarum vesicularum mentionem fecerunt. Sed & operæ pretium videtur, ut inquiramus, qualenam phænomenon, aut quæ observatio isti pronunciato dederit occasionem. Quamvis enim apud plerosque, citra quam quod ipsi qualicunque examine rem explorarint, Aristotelis *l. 2. d. gen. an. c. 6.* verbis, ἡ λίαν ἐμπνεικῶς ἔχοντες τῷ συμβουλόντων, tanta fuerit antiquitatis admiratio, ut ne quidem ulterius illa in re inquirendum, sed quicquid à majoribus haustum esset, nescio, qua veneratione religiose adorandum putarint; attamen dubitandum non est, quin primis auctoribus ejusmodi quipiam observatum fuerit, aut saltem apparuerit, quod ansam dederit isti pronunciato. Solo enim mentis conceptu citra ullum naturæ examen illa primum inventa & posteritati obtrusa, nefas dici est. Qua de causa, si quid conjectura assequi licet, sequenti modo ad ista cogitata vetustatem venisse, suspicamur. Agnoverunt procul dubio veteres illam inter ovum & conceptum animalium viviparorum dictorum analogiam, moti in primis Hippocratis *l. d. nat. puer. s. 41.* auctoritate, qui, cum quæritur, quare fœtus ob deficiens alimentum utero egrediatur, ovum volucrum allegat. Sed & ejusdem *l. c. s. 4. t. 24.* observatio de psaltria abortum passa ovum inculcat. Nempe non solum examen ovi, in primis incubati, commendatum, sed & tentatum à veteribus fuit. Hoc declarat ipius Hippocratis, aut, si ipse auctor non est, dubitante Galeno *l. d. fæt. form. c. 1.* Polybi ejus disci-

discipuli monitum *l. c. s. 36.* & observatio, *l. c. s. 41.* pullum ex vitello nasci, alimentum vero & augmentum ex albumine habere, pronunciantis; quod certe citra diligentius ovi incubati examen anatomicum ipse Hippocrates aut Polybus augurari non potuisset. Sic & quæ Aristoteles *l. 6. d. hist. an. c. 3.* de generatione pulli ex ovo recitat, satis superque ovum incubatum per Anatomen, citra quam punctum illud saliens, primum cordis rudimentum, aliaque observata non patuissent, examinatum indicant; utut Hippocrati circa originem pulli atque alimentum contrarius sit. Plinii quoque ævo adhibitum ovo incubato examen anatomicum arguit, quod ipse, *l. 10. hist. nat. c. 53.* omnibus ovis medio vitelli parvam inesse velut sanguineam guttam, quod cor avium existiment, primum in omni corpore gigni opinantes non solum alleget; sed &, ceu *ωλόπτης* pronunciet: in ovo certe, inquiens, gutta salit, palpitatque. Quamvis in cæteris, quæ habet, ex Aristotele transcripsent. Quæ cum ita sint, forsitan sequioribus seculis factum, ut cum illos globulos aut vesiculas, cerebri, cerebelli, atque oculorum rudimenta observassent, eas pro cordis & jecoris initii juxta cerebrum habuerint; neglecta nimirum quarta, quæ cerebellum constituit, bullula, ceu quæ omnium est minima, uti verosimillime Harveus *d. gen. an. exerc. 18.* suspicatur. Hoc in primis mirum videtur, cum punctum illud saliens non tantum ex Aristotele atque Plinio didicerant, & observaverant, imo & cordis rudimentum habuerant, & forsitan, ut Coiterus *obs. d. ov. pull. gall.* diversum ab ipsis bullulis agnoverant, tamen ob triplum illum in corpore animali dominatum, trium tantum vesicularum mentionem fecisse. Imo Aldrovandus *ornithol. l. 14. c. 1. tit. salac. &c.* cum quarto die incubatus bina puncta salientia observasset, alterum quidem pro hepate obtrudere, non fuit gravatus: cui tamen ex Coiteri, sui tum discipuli diligentissimi ipsius Aldrovandi auspiciis institutis, sat accuratis pro isto ævo observationibus constare poterat, quinto die nullum adhuc comprehendens hepatis vestigium: uti modo laudatus auctor *tract. mod. alleg.* testatur. Scilicet tum temporis mos erat, phænoimena physica, ut Jungii verba *doxoscop. Phys. p. 2. S. I. proœm. aff. I.* hic trahamus, ad præconceptas opiniones, non hypotheses ad phænoimena accommodare. Id omnino præ cæteris duplex illud à Fabricio

bricio ab Aquapendente *de form. ov. & pull. p. 2. c. 2.* effictum  
 fundamentum partium prius & posterius generandarum, alterum  
 à corpore, alterum ab anima desumptum declarat. Certe nec  
 Parisanus, *de microc. subtil. l. 6. exerc. 2. c. 6.* dubitat, cum in ovo à  
 gallina foto tria sibi ipsis proxima intuebatur rubra parva corpuscula,  
 quorum duo certo moveri, sensus sentiebat, tertium ob pusilli-  
 tatem, ut loquitur, eisque vicinitatem etiam moveri videbatur,  
 illa quidem duo pro corde & aorta, hoc vero tertium pro hepa-  
 te venditare, occæcatus nimirum, uti ejusdem Auctoris cum Har-  
 veo disputatio demonstrat, & ut paulo post ipse fatetur, ista op-  
 nione, falsum esse, magna vasa, cavam & aortam à corde oriun-  
 da esse, & sanguinem à corde progigni. Quod eo magis mi-  
 randum est in illo auctore, quem jam propriæ observationes ocu-  
 latiorem prædecessoribus reddiderant, adeo, ut, ubi sensus docere  
 nos possit, frustra rationes quæri, & sensui potissimum fidem ad-  
 hibendam *l. c. aff. maverit*; imo experimentis edoctus, chalazas  
 in ovo contra receptam tum sententiam negarit semen esse, ci-  
 catriculam contra, licet sub aliis nominibus, substituerit: atque  
 Aristotelis castra *l. c. exerc. 3. c. 3.* deferere ausus sit. Nimirum  
 nihil istud argumentum valet, hepatis nondum tum temporis aliud  
 vestigium percipi posse. Non enim tantum ex Malpighii *append.*  
*de ovo incub.* accuratissimo ovi examine, sed & jam ab Harveo  
*exerc. d. gen. an. 16. & seqq.* & Coitero *m. c.* factis experimentis  
 constat, ante quartum in ovis gallinaceis ab incubatu diem ne  
 minimum quidem hepatis apparere rudimentum. Certe jam fe-  
 re, ut nihil de capite dicamus, quod solum ex bullulis istis jam  
 conflatum, abunde dignosci potest, cor integre conformatum  
 conspicitur, antequam hepatis lineamenta demonstrare queamus,  
 utut in volucribus cordi hepar immediate jungatur, prout cre-  
 brius in ovis gallinaceis atque columbinis, quæ ab incubatu di-  
 versis diebus examini anatomico subjecimus, observavimus. Im-  
 posuit fortissim Parisano triplex illa vesicula, sub qua primitus cor-  
 dis rudimentum apparet, prout illam microscopio detectam ocu-  
 latissimus naturæ interpres Malpighius *figg. 29. & 32. append. mod.*  
*alleg.* delineavit. Quam quidem, cum duplicem, vel bipartitam  
 vesiculam pulsantem, dupli ictu alteram alteri vicissim respon-  
 dentem, jam Harveus *l. c. exerc. 16. & 17.* observasset, Parisanum  
 pariter

pariter & Aldrovandum, ut alteram juxta cor pro hepate venditaret, decepisse suspicatur. Quam vero egregie ipse Harveus, felicior antecessoribus physicæ veritatis inventor, cum *l. c. satius fuerit*, credere, inquit, punctorum salientium alterum (adaucto fœtu) in auriculas, alterum in ventriculos cordis abire, felicius rem auguratus est, argumento ductus istius in adultis cordis sanguinisque vicissitudinis. Circa quam quidem, quod ita disjunction in fœtus primordiis fiat, egregia speculatio institui posset, si nostri propositi nunc pateretur meta. Eam tamen, speramus, si Deus vitam & vires, ulteriusque in re tam ardua examen concederit, aliquando in exercitio, quod de motu sanguinis in fœtu meditamus, daturi sumus. Cæterum, ut in viam, unde digressi sumus, redeamus, mirari subit, majores nostros non altius hac in re inquisivisse, quid veritati respondeat, quando ipsis Avicenna, qui adeo tum manibus terebatur, ansam dare omnino debuisset. Hic enim *l. 3. can. fen. 21. tr. 1. c. 2.* ex veteri versione ait: Et veritas quidem est, quod primum membrum, quod creatur, est cor. Quamvis de Hippocrate dicatur, quod dixit, quoniam primum membrum, quod creatur, est cerebrum, & oculi, scilicet, quod testatur illud dispositio pullorum ovi. Cor vero non est in primis, cum creatur, in omni re apparens manifestum. Et sequuntur capitula post, in quibus dicitur, quod rectius est, ut sit primum, quod creatur, epar: quoniam prima operatio corporis est nutrimentum: quare fit res secundum appetitum ejus, & desiderium ipsius. Torsit & hic locus Avicennæ interpretes & commentatores, in primis Jacobum de Partibus, qui, licet præventus opinione solenni, hepar ob nutritionem primum generari debere, *comment. in eund. loc.* agnovit tamen, cerebrum atque oculos primum in creatione pulli, ut loquitur, esse apparens. Hippocratis vero librum, quo recitata modo ab Avicenna habeantur, ad se venisse negat. Et certe dubium omnino est, unquam hæc Hippocrati excidisse, uti cuivis vel obiter in ejusdem genuinis scriptis versato patere potest. Galeni potius doctrinam sapit. Hic enim, postquam in commentariis de semine, *l. i. c. 8.* ut supra allegavimus, cor perinde ac jecur primum fœturæ diebus quasi fundamentum quoddam esse, prout ipse *l. d. fæt. format. c. 3.* fatetur, dixerat: Postea tamen, aliorum omnium & Medicorum &

Philosophorum sententia cognita, fœtum usque ad expressam  
 formationem plantæ modo dispensari, probabilius putavit, nullam  
 in principio cordis esse necessitatem, sed ipsum post jecur forma-  
 ri, prorsus statuit. Neque credimus, quantum quidem nobis li-  
 quet, uspiam ea, que his respondeant, in Hippocratis operibus,  
 etiam omnibus, quæ ipsi vulgo tribuuntur, occurere. Locus enim,  
 ubi *l. d. nat. puer. s. 34. t. 5.* ait: oculus primum quidem germinat;  
 aut, ut in Græco habetur, contingit oculo, prium quidem  
 germinare, nequaquam huc trahi potest; quippe qui manifeste  
 de arboribus loquitur. Tantum scilicet locum Avicennæ addu-  
 ximus, ut rem controversam altius inquirendi, incitamento ve-  
 teribus esse debuisse, ostenderemus. Sed &, uti rem absolvisse  
 putatum fuit argumentum, à nutritione petitum, scilicet idcirco  
 hepar, si non omnino primum omnium, inter primas tamen par-  
 tes illico, quo munere isto suo putatatio defungeretur, adesse de-  
 bere; ita, non minus valuit firmamentum, uti creditum est, ex  
 arte suffultum, primo omnium partium, scilicet spermaticarum  
 dictarum, spinam dorsi, atque ossa delineari debere, ceu partes so-  
 lidas, quibus deinceps molles adnascerentur. Haud secus ac ars,  
 ubi domus extruenda est, primum omnium de fulcris & susten-  
 taculis, sollicita est; Aut, sicut eadem, ubi navigium construen-  
 dum est, ante omnia, ut carinam, cui afferes jungantur, efformet,  
 opus habet. Quod quidem simile quam maxime, tum ob ali-  
 qualem, quam cum carina navigii spina dorsi ipsique adhærentes  
 costæ habent, analogiam, tum etiam ob auctoritatem Galeni *l. 12.*  
*d. us. part. c. 11.* & alib. spinam dorsi carinæ comparantis, suscep-  
 ptum fuit. Verum, qui hæc cogitarunt, si non ad Harveum  
*d. gen. an. ex. 54.* per experientiam hæc confutantem ablegari vel  
 potuerunt, vel debuerunt, debuissent saltem memores esse & istius  
 Galeni dicti, quando *l. an. anim. sit, quod in ut. est c. 5.* ait, Inef-  
 fabilis est, longeque nostra cogitatione profundior ipsa per se na-  
 turæ operatio. Quod quidem effatum etiam illi, quo Aristote-  
 les *l. 2. d. gen. an. c. 6.* utitur simili, ac si natura velut pictor in ge-  
 nerationis negotio operetur, regerendum est. Cæterum, quod  
 vocem attinet carinæ, ea omnino in hoc negotio uti possumus,  
 ut per eam prima pulli in ovo stamina intelligamus, perinde ac  
 vox cicatriculæ in ovo à Fabricio ab Aquapendente, ex errore  
 licet

licet introducta, tolerari potest; modo de re constet. Et hæc forsitan ratio est, quare tum Harveus, tum Malpighius, aliqui, qui accuratius generationis animalis opus descripsérunt, ambas illas voces retinuerint. Sed operæ quoque pretiūm est, ut ergo, cuīn istæ tres bullæ fabulam sapiant, qua ratione generatio verosimiliter fiat, quantum possibile est, exponamus. Modi istud investigandi à Casp. Hofmanno *l. d. gen. hom. c. 12.* priscis jam sapientibus observati proponuntur duo. Alter Hippocratis est *l. sep. all. d. nat. puer. s. 36.* ex inspectione ovi incubati petitus. Alterius Aristoteles *l. 4. d. gen. an. c. 1.* meminit, nempe qui sectione animalium viviparorum constat, ad quam ipse Aristoteles in disputatione contra Democritum provocat. Utrumque Anatome suppeditat, scilicet, quam comparatam dicere solent. Non excludenda tamen, imo jungenda videtur speculatio generationis plantarum. Hæc quippe, postquam à Malpighio, Ciaffo, Swammerdam, Grew, aliisque accuratioribus nostri seculi Physicis, ad Anatomes leges revocari cœpit, ut in pluribus aliis genuinæ Physicæ capitibus enodandis, ita & in iis, quæ ad animale corpus spectant, oculatores nos reddidit. Sensit forsitan hoc jam pridem Galenus, qui ex eo capite, quod fœtus primum vitam plantæ vivere vulgo dicatur, *l. d. fæt. form. c. 3.* de plantarum ortu aliquid prius considerandum præcepit. Ex iis enim, inquit, quæ necessaria plantis sunt, licebit cognoscere, quot & qualia sint ea, quibus fœtus indiget, quoisque una anima, perinde ac plantæ, regitur ac dispensatur. Quæ quidem in genere ita à Galeno pronunciata tolerari possunt. Quod enim deinceps ex eo, quod in plantæ semine, terræ commissio, duplex germinatio prodire conspiciatur, deorsum in terram una, sursum in aërem altera, argumentum pro hepatis prima generatione, venarumque ramificatione, velut radicatione, ut ita dicamus, deducit, id nequaquam ipsi concedere possumus. Sicut nec ex hoc, à germinatione seminis in plantis deducto, simili argumentari liceret, umbilicum primum omnium generari; quando funieulus umbilicalis cum placenta uterina ejusque vasorum ramificationibus radici; vasa vero umbilicalia ipsa intra corpus embryonis cauli germinanti, foliaque & musculos emittenti non nihil comparari possunt. Prinde quam maxime ad epigenesin declarandam, & qua ratione

partes omnes ita assabre delineari queant, plantarum generatio,  
 in primis exemplum germinis in pluribus seminibus intra istos  
 lobulos, qui nucleus seminis ut plurimum constiunt, latentis,  
 omnesque partes plantæ generandæ potentia, ut ita dicamus,  
 continentis allegandum est. Qua ratione Swammerdam *hist. gen.*  
*d. insect. tab. XII.* vicissitudines generationis ranæ & floris vulgo  
 dicti caryophyllei eleganter contulit, atque expressit. Ovi tamen  
 incubati examen diligentius non tantum clarius, sed & expeditius  
 rem demonstrat. Quanquam enim animalium viviparorum di-  
 etorum anatome magis vel ex eo capite commendanda est, quod  
 ipsorum corpora plus, quam volucrum, aut aliorum oviparorum  
 nuncupatorum, humano corpori respondeant; tamen, cum qua-  
 drupeda perfectiora non ita statim tempore, cum grava sunt,  
 mactari queant, ita, ut dies, aut horas, sicut in ovis numerare  
 queamus; præterquam quod, uti conqueritur Malpighius *epist.*  
*ad Spon.* regias fere impensas exigat, quod præter Harveum pau-  
 cis fortasse concessum obtigit, satius profecto videtur in ovo si-  
 ve gallinaceo sive columbino, aut cujuscunque alterius avis do-  
 mesticæ generationis negotium experiri. Graafius equidem *tr.*  
*d. mul. org. c. 16.* se multoties in cuniculis non solum de die in  
 diem, & primis à coitu diebus per horas experimenta circa im-  
 prægnationem, fœtusque generationem factisse, testatur: dubium  
 tamen in quibusdam non omne liquidum omnibus reddidit. Si  
 nihil aliud alii, quibus experimenta suspecta sunt, de quo dubi-  
 tent, habeant; annon saltus inter nonam & decimam diem, prout  
 ova atque conceptus singularum dierum *tab. XXVI.* expressit, vel-  
 uti quispiam sit, cum intra unius diei spatium ex exili nubecula  
 in speciem galbæ, utut informis, transire embryo pingitur, aliis,  
 quibus major experimentorum contigit felicitas, dispiciendum  
 relinquimus, ubi novem prægressis integris diebus nihil natura,  
 quam ut ova e folliculis extruderet, & ampliora rursus redderet,  
 molita est: cum ovum à Gallina fotum tantum sex ab incubatu  
 horis jam notatu dignam alterationem quoad cicatriculam ade-  
 ptum ex observatione Malpighii inveniatur; microscopii licet ope  
 adjuto. Nudo nihilominus oculo examinatum ovum unius diei  
 jam Veslingio embryonis diaspsma sese manifestans ostendit; ut  
 ut vir cæteroqui solertissimus, veteri opinione gravatus, eo ex  
 gran-

grandine translatam spermatis materiam crediderit: quin tertio die vermiculi instar appatur, ut ascaridis in spiram convolutæ effigiem exhiberet. Ita & Harveus, cum primum fœtum in ovo comparat galbae, ex qua musca vulgaris oritur, à quo nomen Graafius hausisse videtur, non ultra quinque dies fotum examinavit. Quanquam galba, ut obiter hoc dicamus, sicut Suetonius *vit. Galb. c. 3.* auctor est, exilius animal, quod in esculentis nascitur, esse videatur, quam fœtus in ovo gallinaceo quinque dierum. Interea, ut in viam redeamus, nequaquam tanto calore, ovum sub Gallina, quantus in ipsius animalis visceribus est, fovetur. Quicquid sit, multa sunt, & fiunt in natura, quæ nostræ rationi, in primis opinionum commentis præoccupatae, absurdâ videntur, & inconcinnia, nempe quia obscura sunt, nec satis comperta. Exemplo in hoc ipso, in quo versamur nunc, generationis negotium ovula esse possunt, quæ, uti experimenta declarant, post fœcundationem atque derivationem in uterus longe, nempe ut Graafius computat, decuplo minora, quam in ovario hæserant, redduntur: tum in primis illud phænomenon, quod jam pridem Harveus *l. d. gen. an. ex. 68.* in cervarum atque damarum corporibus, Graafius *l. c.* in cuniculorum uteris, alii in canibus, aliisque animalibus fœmellis, marem passis, observarunt, primis à coitu diebus nihil prorsus semenis masculini in cavitate uteri, partibusque ad eum spectantibus inveniri. Quod quidem iis, qui rationes in Physicis à priori dictas jactitant, παράδεξον παραδεξότων videtur. Cum primum Pecquetus *exper. nov. anatom.* ductum nunc notissimum, thoracicum dictum, demonstraret, quid non valuit contra eum argumentum, quod sola ratio suppeditaverat? Non probabile esse, à tam tenui filo vitae nostræ pendere salutem, in primis apud eos, quibus in ore erat, naturam in necessariis non deficeret: scilicet illis non, quod jungi solet, in mentem veniebat, neque eandem naturam in superfluis abundare. Multo minus istius dicti memores esse poterant, frustra ratione in laborare, ubi experientia reclamat. Quæ enim non monstra primitus Harveus narrare visus fuit, cum sanguinis circuitum primum detexit. Pudet minimis, quibus arictibus à Parifano & Primirofio, aliisque non tam ille, quam natura, atque ipsa physica veritas, fuerit impetus, perinde ac Pecquetus, & Bartholinus ob vasa lymphatica à Riolano,

aliis-

aliisque. Vicit attamen tandem veritas victrix. Quantum enim Harveus, non istis, quæ nunc prostant, visus adminiculis adjutus, ubi nostro tempore revivisceret, sibi gratularetur, si, quæ ipse velut per transennam viderat, aut ceu diligens naturæ inquisitor auguratus fuerat, nunc adeo clare demonstrari, observare posset. Qua de causa, ut ad  $\epsilon\gamma\gamma\nu$  redeamus, cum, uti jam dictum, in quadrupedum perfectiorum anatome, quando fœmellas gravidas dissecamus, non usque adeo diei, nedum horæ, à quibus imprægnationis punctum numerandum sit, certi simus, aut esse queamus, consultius profecto videtur, ex ovo incubato efformaticis naturæ discere artificium. Quod enim abortus humanos attinet, cum in illis nec coitus, nec conceptus momenti ulla ratione certi esse possimus, nihil omnino exinde concludi potest; præterquam quod, si qui nondum omnia membra conformata ostendunt, observantur, hominem æque, ac alia animalia per epigenesin formari, demonstrent. Et si vel maxime tempus conceptionis, pateret, ubi vel abortus rejiceretur, vel fœmina prægnans morte confecta cultro anatomico examinaretur, tamen tempus efformationis non omnino liquidum foret. Quandoquidem non omnes fœtus æquali temporis spatio exornari, ut verba Hippocratis *L. i. d. diæt. s. 19. t. 5.* habent, sed alios citius, alios tardius non tam ratio suadet, quam experientia confirmat. Proinde non videtur Kerckringius *anthropog. ichnogr.* adeo certus per omnia fuisse, ac putat ipse, quot mensum, hebdomadum, imo dierum hic vel iste fœtuum, quos depingit, fuerit. Sane quod triduanum *L. c. c. 2. descriptum & fig. 2.* depictum attinet, de quo merito dubitamus, ipsi jam anticipando Graafius *L. & c. cit.* respondit, fœtus humanos triduanos aut quatriduanos dari negans. Quod si verum est, Platero certe, qui *quest. physiol. I.* non multis à conceptu diebus abortum, globuli rotundi & albi instar, magnitudine avellanæ se observasse testatur, vix magis credi posse, videtur, tam paucorum dierum fœtum fuisse, quam, quod præconcepta opinione præventus, in eo adaperto tres istas bullas, partium principum rudimenta exprimentes, recte notarit. Et profecto vix verosimile videtur, si modo mulieres ova ex Kerckringii sententia excernunt, ea à virginibus, quæ viri consuetudinem ignorent, ejus molis, ac depinguntur ab ipso, deponi. Anno superiore, mense Januario

cum solenni sectione occupati eramus, inter novem corpora humana, quæ isti exercitio dissecuimus, quod septimum nobis oblatum est, & inter fœminina quartum fuit, in tubæ Fallopianæ sinistræ orificio interno, quo in matricem hiat, invenimus vesiculam, granum milii magnitudine non excedentem; in testibus ipsis rimas, & velut hiatus, cœa vestigia ovulorum, prout ex folliculis excedere Graafio, aliisque putantur. Sed & eodem tempore in alio cadavere mulieris cujusdam Hybernæ, quod tunc quartum, & inter muliebria secundum sub cultrum nostrum venit, cum tubas Fallopianas, earumque orificia in abdominis cavitatem hiantia, ut & ornamentum Graafio foliaceum dictum publice demonstrare volebamus, ipsasque partes, prout in theatris Anatomicis ostendi solent, à Candidato quodam Medicinæ præparatas & in assere explicatas, sub oculis manibusque habebamus, accidit, ut, cum post discursum stylum immittere, ac tubarum hiatum atque ornamenta foliacea ostendere vellemus, ne quaquam id præstare potuerimus: siquidem, ubi deinceps accuratiore oculo omnia lustravimus, invenimus tubarum extrema ipsa alis vespertilionum adnata tenacissime, atque plane obtuta, ita quidem, ut aperto postmodum utero flatu per orificium internum immisso inflarentur. Fecit hoc nos *mæcēna* curiosiores, ut quas in antea memorato corpore fœminino in situ adhuc servatas, ut in exercitiis Anatomicis solennibus nobis mos fert, ostenderamus, eximeremus & accuratius examinaremus, atque quam alias forsitan neglexissemus, superius memoratam vesiculam inveniremus. Cæterum inquisivimus, quantum potuimus, an unquam Hyberna ista mulier grida fuerit, aut pepererit. Assertum quoque fuit à conterraneis mulieribus, quæ in nosocomio supererant, enixam esse infantem Landaviæ: nihil tamen certi ex ista narratione quæ corruptis hujus & illius linguae vociibus constitit, haberi potuit, quoniam nulla earum linguae Germanæ, aut idiomatis Gallici, imo ne quidem Anglicani gnara erat, nullusque, per quem cum illis collocuti essemus, aderat interpres. Non obscurum tamen fuit puerperium aliquando perpestæ indicium, vagina uteri ultra modum atque genitalia dilatata, ipsaque matrix non ejus, ac in illis, quæ nunquam utero gestarunt, parvitas. Hoc certum est, si unquam concepit, aut peperit, nul-

iam fuisse ovo in uterum viam. Etenim à puerperio deum ita  
 tubas & quidem in utroque latere membranis coaluisse, atque  
 obturatas fuisse, quis, quæso, credet? Ut sit, revertamur, si  
 quid adhuc de modo, quo natura in efformando fœtu utatur, pro-  
 blemati addendum est, ad ovum gallinaceum. Hoc certe, si  
 quicquam est, ubi in naturæ arcana penetrare datur, præ aliis  
 omnibus experimentis generationis negotium clarissime manife-  
 stat. Declarat & jucundissima mentis oblectatione ovi incubati  
 à pluribus hactenus Anatomicis institutum examen, si singulo-  
 rum labores atque observationes, quarum nonnullas integras col-  
 legit Blasius *anat. animal. part. 2. additam.* inter se se conferantur,  
 quantos subinde Anatome, atque per hanc scientia physica fece-  
 rit progressus, ita, ut non minus quam ipsa natura, quæ saltum  
 non facere dicitur, paullatim ad sui perfectionem tendat. Quan-  
 tum enim, non dicam Aldrovandi, Coiteri, Fabricii ab Aquapen-  
 dente, Parisani, Veslingii, sed longe accurioribus Harvei, & post  
 hunc Langly, Scraderi, Sladi, imo in cæteris exquisitissimi Steno-  
 nis, aliorumque observationibus, quoad *anatomia* physicam, adje-  
 cit nunquam satis laudanda diligentia Illustris Malpighii: ita, ut  
 nihil amplius addi posse, videri queat. Didicimus certe à Malpighio,  
 neque partes simul omnes procreati, uti Hippocratem *l. i. d. diet. s.*  
*19. t. i.* opinatum credunt; neq; cor, uti Aristoteles *l. 2. d. gen. an. c. 6.*  
 & *l. d. juv. & sen. c. 4.* putasse videtur, neque etiam sanguinem  
 ipsum, ut Harveus *l. sep. cit. ex. 51.* existimavit, primum esse, quod  
 generetur, ceu cæterarum partium principium. Sed jam in ovo  
 fœcundo, nondum licet foto, lineamentum aliquale istius vulgo  
 dictæ carinæ pro efformatione pulli adesse; uti prima ejusdem  
 prout cicatriculam exquisitissimo microscopio observatam deli-  
 navit, figura declarat. Hæc tamen omnia, ut & quæ præcesser-  
 runt circa ovum dicta, non ita accepta volumus, ac si per omnia  
 ovum v. gr. gallinaceum, generationem aut quadrupedum vivi-  
 parorum, aut ipsius etiam hominis ad amussim exprimeret. Sed  
 tantum cum in finem allata fuerunt, fœtum in utero materno non  
 tam per metamorphosin, quam epigenesin, qua partes partibus  
 succrescant, corporari. Prostant quidem, quæ declarant epige-  
 nesin in abortibus humanis facta experimenta, modus tamen,  
 qua partes partibus succedunt, non æque feliciter, ac ex ovis disci-  
 potest.

potest. Salva interea ista, qua non solum volucria inter semetipsa, sed & ab aliis animalibus in primis ab homine discrepant, differentia hæc dicta sunt. Sicut enim animalia bruta adulta tam quadrupeda, quam volucria in multis, tum quoad externas, tum quoad internas partes tam inter se, quam ab homine differunt; ita quoque embryonem humanum à brutorum fœtu quoad partes nonnullas differre, non tam ratio suadet, quam experientia confirmat. Exemplo sit membrana allantois dicta, quæ quicquid dicant tum antiqui, tum recentiores nonnulli, humano fœti denegata videtur. Declarant & istam varietatem hepar uterinum, adeo secundum animalium diversa genera varians, & uteri cotyledones. Sic &, quod mirum omnino est, triplex in fœtu canino umbicalis vena insignem ab aliis animalibus disrepaniam inculcat. Demum, quod adhuc ad fœtus nutritionem spectat, in volucribus ductus ille intestinalis à Stenone epist. ad Barbett. descriptus atque depictus, mediante quo vitellus in pullo in intestina transit, peculiare quoque quippiam, volucribus solis concessum à natura indigitat. Hac ergo ratione cum rursus ad ovum revocemur, quoniam istis, quæ Malpighius detexit, nihil quod addi possit, supereft, merito in oculatissimi pariter ac fidelissimi istius naturæ interpretis observatis, prout dietim conformatio-  
nem pulli sepe habere descripsit, atque depinxit, acquiesca-  
mus; quippe quæ ampullas illas veterum clare omnino eludunt, ipsumque adeo problema nostrum solidissime decidunt.

# PARADOXVM

## SECUNDVM.

*Mulierum menstruum venenatum atque  
malignum est.*

**S**i ulla in re vel affirmanda vel neganda vetustas sibi non bene constitit, certe in hoc asserto fuit, quod mulierum menstruum esse venenatum credidit, quippe quod alterum quoque generationis nostræ principium uno ore affirmare, non dubitavit. Antiquissimæ fabulæ, quantum liquet, si Columellæ *l. II. d. re rust. c. 3.* fides habenda est, primus inventor videtur Democritus. Sic enim Auctor modo allegatus, Democritus, inquit, in eo libro, qui Græce inscribitur *επί αναστῶν*, affirmat, has ipsas bestiolas (erucas) enecari, si mulier, quæ in menstruis est, solutis crinibus, & nudo pede, unamquamque aream circumeat, post hoc enim decidere omnes vermiculos, & ita emori. Ex his forsitan & similibus hausit, quæ Plinius *l. 7. c. 15. item l. 19. c. 10. ut & l. 28. c. 7.* habet, ut paucis, quibus omnem rem videtur complexus esse, verbis ex ipso repetitis dicamus, nihil facile reperiri mulierum profluvio magis monstrificum. Certe utrumque, Democritum scilicet & Columellam Plinius, ut liber auctoris primus declarat, ubi vis allegat. Sed & ibidem Hippocratem pariter & Aristotelem inter externos nominat. Quorum quidem hic *l. 3. d. hist. an. c. 19.* *νεροσηκὸς τὸ τὸ ἄμμα καλεῖται ποὺς*, dixit. Versio Gazæ habet: quod genus sanguinis vitiatum ægrotansque fluit immodice, atque profluvium ob eam rem dictum est; non tam metaphraſtæ, quam, ut videtur, ex mente Plinii & recepta tum sententia, commentatoris. Quod jam pridem Sebizius noster *exerc. Med. quæſt. quid ad argum. pro menſtr. malign. resp.* observavit. Siquidem si dicendum, quod res est, non adeo opinioni Plinianæ locus iste Aristotelicus favet. Aliud est Aristotelis effatum magis spectans, *l. d. insomn. c. 2.* quando probaturus, sensus, in specie visum, ut pati, ita etiam agere aliquid solere, ex versione Vatabli, ita ait: cum mulieres tempore

men-

mensium è speculis admodum nitidis aliquod inspectant, tunc su-  
 perficies speculi quadam veluti nebula sanguinis obducitur, atque,  
 si novitium speculum sit, haud facile est, ejusmodi maculam ab-  
 stergere, si pervetus, facile: quippe quæ Plinii *l. 7. c. 15.* verbis;  
 speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, contineri videntur.  
 Quod Hippocratem attinet, utut Democrito coævus putetur &  
 familiaris, ejusdem circa hoc quæsitum cum eo sententiæ fuisse,  
 ex scriptis ejus non constat. Quod enim nonnulli id adducunt,  
 quod *l. 1. d. morb. mul. s. 21. t. 14.* menstruum fluxum radere ter-  
 ram velut acetum, & mordere, ubique mulierem contigerit,  
 & uteros exulcerare, dixerit, id nequaquam huc quadrat: quan-  
 doquidem luce meridiana clarius est, ibidem Hippocratem, si au-  
 thor est istorum librorum, aut Polybum, (idem quippe est cum  
 eo, qui librum de natura pueri, ut ex ejusdem *Secl. 7. t. 20.* patet,  
 conscripsit) nequaquam de menstruis secundum naturam fluen-  
 tibus, sed de iis, quæ præter naturam esse dicuntur, aut morbosis  
 fuisse occupatum. Ita nec ista Hippocratis *κακία τῆς αὐμαρτίας*, cu-  
 jus mentionem *l. d. virg. morb. s. 2. t. 26.* fecit, allegari potest; quan-  
 doquidem etiam satis manifestum est, de statu Medicis præter-  
 naturali dicto ibidem sermonem esse. Quamvis enim Hippocra-  
 tes plurium subinde morborum atque symptomatum ex suppres-  
 sione mensium oriundorum catalogum recitaverit, tamen non li-  
 cet, inde argumentari, ergo maligni quid sanguini menstruo vel sub-  
 est, vel subesse, Hippocrates putavit: imo ne quidem, si febris quæ  
 dam maligna è mensium suppressione exoriretur, sicut continuam  
 inde accendi, non adeo insolitum est, concludi posset, istius fœminæ  
 menstruum malignitatis esse particeps. Galenus quoque, utcunq;  
 multorum morborum causam mensium suppressionem agnovit,  
 ipsum tamen sanguinem menstruum non per se malignum pronun-  
 ciavit. Certe excretorum, ut vocantur, omnium suppressio cor-  
 pori noxiam invehit, licet ipsa excreta maligna minime sint. Et  
 ut de alvi excrementis atque urina nihil dicamus, nonne seminis  
 in viris, & lactis in mulieribus suppressionem nonnunquam sani-  
 tati officere observamus quæ tamen propterea maligna minime  
 dicimus. Sed nec qui vulgo adduci solet Galeni locus *l. d. atr.*  
*bil. c. 8.* quicquam tale, si penitus inspiciatur, involvit. Videtur  
 potius Galenus, quippe qui Plinio junior fuit, quod nullam istius

menstruæ malignitatis mentionem fecerit, jam ceu vulgi fabulam neglexisse. Unde nulla asserto major auctoritas accedit, etiamsi aliquot Plinio juniores auctores, quos inter in primis, Solinus *polyhist.* c. 4. qui alias Plinii simia audit, nominandus est, fabulam repetant. Sicut & Aelianus *l. 6. d. animal.* c. 36. ea, quæ superius ex Columella recitavimus, habet. Heic enim, si ullibi, allegandum est illud: Multitudo errantium non parit errori patrocinium. Uti nec denominatio, quod Latinis etiam virus Lunare audiat, quicquam valet: quanquam, uti Grammatici observant, virus vocabulum *μίαν* sit. Nam & semen masculinum genitale virus appellatum est; quod tamen illo ævo virulentum minime erat; prout nunc in istis, qui Lue venerea infecti sunt, observatur. Et si vel maxime virus Latinis id, quod malignum est & venenatum solum denotaret, tamen non magis probaret, veneno infectum istum sanguinem esse, ac id, quod Lunare dicitur, demonstrat, Lunam ictius excretionis causam esse. Cæterum mirandum, Galenicos, cum & sanguinem menstruum alterum generationis principium statuerent, & effluvia e corporibus emanantia negarent, in istam de menstrui malignitate descendisse sententiam. Torsit & istud forsitan Fernelium, ut cum etiam *l. 7. physiol.* c. 7. tantam perticiem, atque vim pestiferam sanguini menstruo inesse putaverit, vix animum induxerit, fieri posse, ut ex eo fœtus in utero gestatus alimentum capesseret. Sicut & idem propterea loca, in quæ corruptus ille sanguis in gravidis concedat, commentus est; atque, ut demum & materiam lactis, perinde, ut alterum vetustatis dogma de fœtus in utero nutritione salvaret, omnem sanguinis ab utero factam dejectionem hoc nomine veteres significasse, affirmavit. In dialogis tamen de abditis rerum causis *l. 2. c. 16.* non tantam putatitii ictius veneni vim esse, existimasse videtur. Quicquid sit, Arabibus inserviit istud dogma, ut rationem & causam morbillorum atque variolarum redderent, nempe illas veneni menstrui, quo nutritus fuisset in utero materno fœtus, reliquias. Scilicet hoc erat palmarium, & uti putabatur, à priori petitum argumentum. Quod tamen haud magis illam sanguinis venenatam qualitatem probavit, ac omnes illi à Plinio, & Solino narrati, atque à Bonaciolo *ennead. mul.* c. 2. ubertim repetiti effectus, si dicendum, quod res est, illam vetustati decantatam ut *sympa-*

sympathiam; ita antipathiam declararunt. Planum interea non omnino est, quidnam primum errori adeo recepto, & per vulgato dederit occasionem. Et profecto vix facile patebit, si non ex incantamentis & carminibus, quibus olim beneficis Luna deduci credebatur, aliisque præstigiis, ubi forsitan sanguis iste adhibitus fuit, ejusmodi eventus primitus profluxerunt. Sapit certe ejusmodi aliquid, quod meteorum istud, diram ac minacem Plinio l. 2. c. 32. Helenam dictum, averti, author Solinus l. c. est; quando ait: Habet plane id solum salutare, quod avertat sidus Helenes perniciosissimum navigantibus. Quem tamen effectum salutarem putatum, æque fabulosum, ac cæteros noxios, qui allegari solent, existimamus. Cæterum, uti sit, ut quandoque fortuita experientia quædam, inter quæ quidem nulla causarum connexio intercedit, simul contingere observentur, quæ vulgus, si de causa quæstio est, ob idem temporis momentum conjungit: ita quoque evenire potuit, ut ejusmodi quippam, quod inter malignos illos menstrui effectus numerari solet, forte fortuna menstruata quadam præsente, accidisse animadverterint ii, qui altius in veram eventus causam inquirere, vel non voluerunt, vel non potuerunt. Argumento esse potest causa toties in reliquis Physicæ partibus, ut & in Medicina falso à vetustate allegata, eorum scilicet, quæ demum nostrum seculum invenit, ignara. Sicut multorum, quorum vera causa ignota per plura secula delituit, falsa vero communis suffragio credita fuit, insignem catalogum edere possemus, si instituti ratio id nunc pateretur. Qua de causa, ut tribus verbis problema decidamus, nihil, omnino sanguini menstruo maligni subesse putamus, à muliere bene se habiente excreto. Quandoquidem, qui sanguis ita à fœminis emitti solet, ab illo, qui in vasis continetur, non aliter differt, quam quod extravasatus, ut loqui solemus, spiritibus destitutus torpefcat. Cum autem, qui in vasis adhuc fluit, sanguis mulieris cæteroqui sanæ, licet menstruatæ, nihil maligni contineat, idem quoque de isto, qui per uterum excernitur, pronunciandum erit. Loquimur nimirum de muliere omnino sana. Quod enim morbosas fœminas attinet, & eas, qui actu morbo quodam, inspiratis maligno aut venenato, ut Lie venerea, infectæ laborant, illarum quidem menstruum malignitatis aut morbosæ constitutio-  
nis

nis particeps esse, omnino rationi consonum videtur. Quæcum ita sint, mirum certe est, hodierno nostro ævo, cui adeo veritas physica in plurimis illuxit, fabulam illam multos adhuc velut fascinatos tenere, ut menstruatas, licet optime sanas, mensis, cellis vinariis, hortis, aliisque arceant, quibus tamen effluvia monstravidentur. Nimirum ii sunt, qui veterum commenia, velut oracula, cæca quædam veneratione suspiciunt,

*Miranturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.*

## PARADOXVM TERTIVM.

*Cellulæ aut receptacula septem in utero.*

Uod si unquam aliquid inconsulta natura in physicis vestas asseruit, illud certe fuit, quod in utero humano distinctas cellulas, & quidem septem numero effinxit. Vestissimam fabulam esse, dubio vacat, quamquam, quis primus auctor sit, incertum est. Eorum, qui expressis verbis istarum septem cellularum meminerunt, quantum reperire potuimus, non ultimus forte numerandus est auctor libri de spermate, qui Galeno tribuitur, & inter ejus scripta vulgo habetur, quippe qui *c. d. nat. puer.* ait: sunt in matrice spermatis receptacula septem, & tot creantur pueri, in quot ex illis ceciderit sperma. Antiquorem tamen auctore isto sententiā esse, procul dubio est. Occasionem placito isti dedisse videntur tum animalia πολυτόνα, hominisq; partus geminus, aut quandoq; tergeminus; tum antiquorum Medicorum, atq; Philosophorum μίγεαι, οὐσέαι, ac τίποι, ut & κόλποι de una fœmina in numero, ut Grammatici loquuntur, plurali enunciati. Ita enim Hippocrates: ὁκόσαι φυχέας καὶ οὐχέας τὰς μίγεας ἔχουσι. aph. 62. S. 5. & alibi passim. Item aph. 46. & 51. τὸ σόμα τὸ οὐσέων quod & Aristoteles *l. 4. d. gen. an. c. 4.* habet. Quod enim aph. 49 S. ejusd. οὐσέων εὐπλάνει de secundinis vulgo dictis in Hippocrate legitur vitiata lectio est, uti jam pridem Galenus *comm. in eund. aph. ob-* servavit. Item, cum *l. d. nat. puer. S. 45. l. 7.* ἐσ ὁκότερον ὅν τὸ κόλπον τύχη γονή, ἀστρον, in utrum sinuum contigerit genituram ingredi, pronunciavit. Sic & Aristoteles *Sect. 10. probl. 16.* cum querit,

quam-

quamobrem animalium hæc quidem multipara sunt, ut sus, canis, lepus: alia vero non, ut homo, leo? An quod illa ποντικη μητερα πηλης multas matrises, & locos habent æquales; alia vero contrario modo; problematice, ut loquuntur, respondet. Quod quidem, quamvis hominem contrario modo se habere afferatur, forsitan ex ea ratione ad hominem etiam tractum fuit. Quod *l. 7. d. hist. an. c. 4.* Philosophus, cum alia animalia singulos pariant, alia plures, genus humanum in ancipiti esse, pronunciavit. quod & *l. 4. d. gen. an. c. 4.* repetit, licet concludat, hominem maxime sua natura uniparum esse. Colligit ex ista problematis dissolutione Septalius *comm. in dict. probl.* Aristotelem esse secutum antiquorum & vulgi opinionem de multiplici internarum cellularum uteri numero, cuius multiplicitatem fœtuum numerum sequi crediderunt. Quicquid sit, de homine istud nequaquam Philosophus hisce afferuit. Sinuum quoque uteri Galenus meminit, *comm. in aph. 48. s. 5.* ubi Hippocrates mares in dextris magis, fœminas in sinistris gestari afferuit. Imo Galenus *l. 14. d. us. part. c. 4.* matrises duas mulieribus factas in unum collum desinentes, pronunciavit. Sic & qui author est libri, Galeno tributi, an animal sit quod in utero est? *c. 5.* sinuum mentionem fecit. Latini quoque plurali numero locos dixerunt. Hinc Plinius *l. 11. hist. nat. c. 37.* de fœminis, quod alio nomine, inquit, locos appellant, hoc in reliquis animalibus vulvam. Veruntamen hæc omnia non illum septenarium cellularum numerum determinant; potius duplicem matricem, aut saltem in duos sinus distinctam involvunt. Ita enim Galenus *l. m. c.* In homine quemadmodum corpus totum dextris ac sinistris est geminum, ita & matricis sinus, alter quidem in dextris, alter in sinistris est locatus, ait. Sic & Hippocrates aut Polybus *l. d. nat. puer. S. 44. t. 2.* rationem gemellorum traditurus, uteros sinus frequentes & curvos, alios remotiores, alios propinquiores pudendo habere afferuit. Quod & Theophilus Protospatarius *l. 5. c. 17.* imitatus est, quando interius uteri cavum in duos sinus distingui à dextra unum, alterum à læva dixit. Quæ quidem pleraque, si non de mulierum partibus, quas veteres cornua, teste Oribasio *coll. med. l. 24. c. 29.* dixerunt, nos nunc à Fallopio, qui eas *observ. anatom.* primus tubis comparavit, denominamus, intelligenda sunt; certe ea, quæ Lactantius *d. Opif. DEI c. 12.* ex sententia forsitan Medicorum tum temporis communi recitat,

quod in fœminis uterus in duas se dividat partes, quæ in diversum diffusæ, atque reflexæ sicut arietis cornua circumplacentur, non, nisi de tubis illis Fallopianis intelligi possunt. In quibus tamen formatio fœtus ordinaria naturæ lege non sit. Quandoquidem quæ extant de fœtus in tubis gestatione historiae, à Riolano *l. 2. anthro-*  
*pogr. c. 35.* enarratæ, atque à Graafio *d. mul. org. c. 14.* cum alia recentiori repetitæ inter monstra merito numerantur. Quæ cum ita sint, nequaquam audiendus est Mundinus *c. d. anatom. matr.* quando concavitatem uteri septem cellulas, tres in parte dextra, & tres in parte sinistra, & unam in summitate vel medio habere, dixit, utut istas non, nisi quasdam concavitates in matrice existentes, fassus sit, merito à commentatore Carpo *comm. 14.* quamvis minus urbane & crassa Minerva confutatus. Sed & ab eodem commentatore *ibid.* vapulat Bonaciolum, quippe qui *Ennead. mul. c. 1.* non solum eadem, licet comptiori stylo ex Mundino repetiit, quando in sinu quolibet exiguo tres scrobes, tum in medio unum, rugositatibus duntaxat quibusdam interstinctos, quæ cellulæ à recentioribus cognominantur, tristius confoslos comparere, dixit, sed & unamquamque insuper fossulam decem rugositates obtinere: inde septuaginta consurgere puerperia, totidemque simul concipi posse, plerosque autumasse, enunciavit. Siquidem tot tunc partus, in quot cellulas seiven masculinum cediderit, sequi crediderunt. Quasi vero partus humanus geminus aut tergeminus non una cavitate contineri posset. Quæ quidem omnia citra adhibitum accuratius examen anatomicum fuerunt asserta. Decepit forsitan Bonaciolum, aut illos, qui ante eum istas fossulas ac rugositates observasse, sibi visi sunt, uterus puerperæ, aut mulieris paulo post puerperium defunctæ inspectus, conjecturam supeditante ipso Mundino, quando *l. c.* ejusmodi insignis molis uteri, quem anno Christi 1315. mense Januario dissecuit, mentionem facit. Nimirum, cum moles uteri in puerperis, aut etiam aliquot hebdomadibus post puerperium extinctis insignis magnitudinis observatur. Præterea in harum uteris ejusmodi fossulæ ac rugæ, tum sanguine concreto, tum viscido humore obseßæ conspiciuntur, uti saepius nobis videre contigit. Et certe, ut paululum extra oleas vagemur, hæc nobis non postrema ratio visa est, quare aliæ citius, aliæ tardius à puerperio rursus concipient, quod rugæ forsitan istæ ac fossulæ in una citius, in altera tardius obliterentur,

uterusque naturali lævitati restituatur. Nempe, si non huc trahi debet, memores saltem nos esse licebit illius Hippocratis *aph. 45. S. 5.* abortus causam cotyledones lensoris plenas allegantis. Utut enim Hippocrates de mulieribus actu gravidis ibidem loquatur, tamen, cum nihil in utero muliebri, sive prægnante, sive non fœto, quod proprie cotyledonibus brutorum respondeat, inveniatur, μύξη ista seu mucus, cuius meminit, nobismet illam conjecturam suppeditare potuit. Sed, ut redeamus, unde digressi sumus, hoc quam maxime ridiculum in ista de cellulis uterinis sententia fuit, quod, cum ex opinione Hippocratis jam supra tacta, mares dextra, fœminas sinistra uteri parte gestari, putarent, istas quoque ratione sexus fœtui distribuerint, dum, ut Fuchsius *l. 4. anat. c. 3.* testatur, tres quidem in dextra uteri sede masculis suscipiendis aptas, tres vero in sinistra fœminis dicatas, septimam autem in uteri medio hermaphroditis consecrарunt. Quo quidem, si dicendum, quod res est, nihil absurdius excogitari potest. Ac si nimirum sexus unus, non perinde, ac alter eadem cavitate, ut supra de multiplici partu innuimus, concipi posset. Quæ tamen vel semel organa muliebria contuito facile patent. Nimirum ἀντίκα totum istud placitum convellit, uti jam pridem plures agnoverunt, tum oculatores, tum cordatores anatomicorum: eorum etiam, qui cæteroqui antiquitatis placita contra recentiorum manifestissima observata defenderunt. Unica siquidem solum cavitate uterus humanus, sicut ipse sensus fidem facit, constat. Neque nisi manu aut ratione in duas, aut plures partes discindi a dīrimi potest. Illa siquidem, cuius nonnulli Anatomici meminerunt, linea intermedia distinguens admodum obscura est. Mirandum interea, falsam opinionem, præter naturæ examen excogitatam adeo late serpsisse, ut & Theologi Scholastici & Jurisconsulti ista somnia susciperent, uti Fuchsius *l. c. & Zachias quest. Med. leg. c. 1. tit. 2. quest. 8. n. 3. 4. & 5.* testantur. Tantum nimirum tum temporis auctoritas potuit. Cæterum, cum superius occasionem isti placito etiam animalia πολυπόρη forte deditse, suspicatati fuimus, id quidem etiam inconsulta natura, ē cerebro philosophantium profluxisse videtur. Crediderunt scilicet brutorum multiparorum uterus ita in cellulas pro numero prolis distinctum esse, debere, quod tamen non, ut putatum fuit, experientia demonstrat, utut Hippocrates aut Pollybus *d. nat. puer. S. 44. t. 3.* animalia, quæ multa gignunt, plures

finus habere, quam quæ pauca, dixerit, & Galenus l. 14. d. us. part. c. 4. naturam in porcis atq; aliis quibusdam, quæ multos fœtus utero gestare, est necesse, conceptacula fecisse quam plurima, pronuncia verit; si non mollius quispiam eosdein interpretetur. Quandoquidem cornua illa uteri animalium πολυτίκων, quibus fœmellæ prægnantes fœtum continere solent, nequaquam, cum animal gravidum non est, ita in cellulas distincta, sed velut unicum intestinum utrinque excurrens apparent, uti jam pridem Fabricius ab Aquapendente l. d. form. fæt. tab. 26. fig. 51. ē scrofa extractum uterum delineavit, & ante eum Carpus Comm. in Mund. s. cit. in cane agnovit. Ita nec, cum in animali gravido post factam conceptionem in diversos hinc inde tumores pro prolis numero, ubi partus augmentum sumere incipit, elevantur ista cornua, in cellulas distincta proprie dici possunt. Quod satis superque grandior redditus fœtus, & partui propinquus, ubi uteri ista cornu instar ingentis farciminis apparent, demonstrat, utut fœtus, quotuplex sit, peculiares quisque suas habeat membranas. Cum ergo citra naturæ examen effecta olim fuerit ea de uteri cellulis sententia, merito quoq; cum aliis, quæ sola ratio excogitavit, exsibilanda erit. Proinde etiam heic, sicut in tota, non dicam Anatome, sed Physica genuina locum habet illud, quod in historia apum inculcavit Aristoteles l. 3. d. gen. an. c. 10. dum ait: Quod si quando satis cognita habebuntur, tunc sensui magis erit, quam rationi credendum. Nempe heic quam maxime valet illud Lucretii l. 4. d. rer. nat. v. 479.

*Invenies primis à sensibus esse creatam  
Notitiam veri, neque sensus posse refelli.*

Hæc ea sunt, quæ pro ingenii nostri modulo, atque experientiæ angustia dissertatione hac loco speciminis exarare potuimus. Quæ, si non suis numeris, ut deceret, absoluta cuiquam videbuntur, is rogatus esto, ut tum ab horis propter alia necessaria negotia subcisis, tum à festinatione, quæ nec auctores omnes, qui debuissent, evolvere, nec nova experimenta facere concessit, imo ne quidem ultimam manum imponere, passa est, excusationem admittat. Veniam saltem vulgo specimen facile impetrat. Ni mirum nequaquam istam expectamus laudem, quam olim meruit opere suo etiam non reviso elegiacorum princeps, utut conquestus sit, canens:

*Nunc incorrectum populi pervenit in ora.*



